Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ATRETIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

SVB PRÆSIDIO

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET ARCHIATRI, THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII, h. t. PRO-RECTORIS DESIGNATI,

Patroni & Præceptoris omni pietatis & obseruantiæ cultu ætatem prosequendi,

PRO LICENTIA

Summos in arte medica honores, Insignia & Priuilegia DOCTORALIA, MORE MAIORVM, rite capessendi,

PVBLICÆ DISQVISITIONI EXPOSITA,

A

SAMVELE IOACHIMO BERTRAM,

PERLEBERGENSI MARCHICO,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante- & pomeridianis consuetis,

A. D. Iulii, M DCC IX.

IENÆ, Litteris KREBSIANIS.

VIRIS
Magnificis, atque Excellentissimis,
DOMINO
GEORGIO VVOLFFGANGO
VVEDELIO,
HEREDITARIO IN Schwartza/
MEDICIN. DOCT. COMITI PALATINO CÆSAREO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO DVCALI SAXONICO, THEORETICES PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO;
ET
DOMINO
IO. HADRIANO SLEVOGTIO,
HEREDITARIO IN Ober-Roßla/
MED. DOCT. ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROF. PVBL. ITEMQVE MEDIC. DVC. SAXON. PROVINC. h. t. DECANO
MAXIME SPECTABILI,
VIRIS IN ARTE MEDICA CONSVMMATISSIMIS,
DOMINIS PATRONIS, ET PRÆCEPTORIBVS
ÆTATEM SVSPICIENDIS,
IN OBSTRICTISSIMÆ MENTIS TESTIMONIVM
HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DEVOTE OFFERT
SAM. IOACH. BERTRAM.



I. N. I.

PROOEMIVM.



Ecantata est parœmia, naturam nihil facere frustra, laudata ipsi *Pergameno*, cui ὐδὲν εἰκῇ ποιοῦσα φύσις, *nihil temere agens natura* audit, quamuis μάτην *frustra* aliquando videatur ipsi aliquid fecisse *l. 9. Anatom. administr. c. 4.*

Verissimum est, nihil frustra agere sibi relictam, ordinarie & directe, intentione primaria, quandoquidem omnia certo ordine, fine & modo artificiosissime fabricat. Interim tamen & ludit quandoque, qui lusus sunt amoenissimi & curiosissimi, neque illud frustra, sed vt tanto curatius inquirentem inuitet.

Visuntur etiam aberrationes quædam, si ita dicendæ sunt. Dum operatur, dum occupata est ad præfixam a summo creatore ideam, aliquando

turbari poteſt & ſolet, neque illud tamen fruſtra, quamuis non æque cauſa profundior pateat.

Peruidit id iamdudum *Philoſophus*, qui ſatis accurate de his tractat *l. 4. de gener. animal. c. 4.* vbi de monſtris & monſtrificis translationibus & mutationibus agit, quod inprimis in generatione animalium accidit.

Ex his ſelegimus inpræſentiarum de ATRETIS διάσκεψιν, vtpote vtilem & iucundam, ſiue theoriam, ſiue therapiam reſpicias. Hoc vt feliciter eueniat, diuinum humillime exoramus Numen.

CAPVT I.

De

Nominis & Rei Euolutione.



VT plurima alia nomina ex Græcorum Profeſſorum ſcriptis in ſcholas medicas tanquam claſſica recepta ſunt, fruſtra meris Latinis vocibus reddenda, quippe notiora vſu iam ipſis aliis: ita & ATRETORVM appellatio, eaque admodum rei congrua & ſymbolica, vtpote ex mechanica nata, hunc cenſum ſubit.

Non reperitur quidem ea apud *diuinum ſenem*, quantum nouimus, rei ipſius tamen notio & denominatio non ſemel occurrit, vt, quando *l. de nat. puer. c. 7. t. 7.* αἱ δὲ μῆτραι μὴ χαλῶσι, inquit, *Vteri autem non biauerint*, ſanguinem inibi

inibi detentum & inclusum remorantem diutius, quæ symptomata pariat, describit. Alibi nominat στενοστόμους, quæ angustum habent orificium, vel conclusum; ὡς μὴ δύνηται ὁδὸν ἔξω εὑρεῖν, *vt nequeat exitum inuenire, l. 1. de morb. mul. c. 3. t. 2. & 4.* Meminit iterum τὸ στόμα τῆς ἐξόδου μὴ ἀνεστομωμένον, *osculum exitus non apertum l. de virg. morb. c. 2. t. 5.*

Omnium optimus vero locus est *l. de nat. muliebri c. 6. t. 1.* Vbi scribit: ἢν αἱ μῆτραι ἄψιωνται, *si vteri agglutinati fuerint.* Et *c. 7. t. 1.* ἢν ἀποπτυχθῇ τὸ στόμα τῶν μητρέων, *si complicatum fuerit os vterorum*, & reliqua.

Ast apud *Galenum*, *Paulum*, *Aetium*, & Scriptores Gynæciorum Græcos solennis hæc vox est, ita vt in Latium recepta ordinarie & præcipue legatur. Origine scilicet Græca est, ἄτρητος enim idem est, ac quasi dicas *imperforatus*, *Ouidiano* vocabulo imperfossus. Et quidem, vt *Etymologicum magnum* docet, ἄτρητα παρὰ τὸ τρῶ, aut τρητὸς καὶ ἄτρητος μετὰ τοῦ στερητικοῦ α, *forata*, *perforata*, *imperforata*, *cum alpha priuatiuo*, seu negatiuo.

Ad illustranda ac demonstranda hæc vberius facit non parum, quod antiquissimis medicis, quæ caua aperta studio naturæ esse oportuit & relinqui, perforata dicta sunt. Instar omnium sit locus *diuini senis l. de loc. in homine c. 4. t. 2.* vbi expressis verbis, quod corpus, vt alibi διατέτρηται, *perforatum* est, ita seorsim & primo τὰ περὶ τὰ ὦτα πέριξ κενεά, *vacua* seu caua, *circumcirca aures memorantur.* Vbi & τρῆσις *foramen* per membranam, & τρῆμα κατὰ τὰς ῥῖνας, *foramen circa nares* negatum dicitur. Posito hoc rectissime ἄτρητοι audiunt, quibus hæc vel illa foramina desunt.

Hoc ipsum ergo vocabulum in scholis medicis elliptice

notat loca non patula, & imperuia, quæ secus habere debebant, morbose, vitiose, desumpta metaphora a mechanica lapidum, lignorum aliorumque, imperforatorum vel perforatorum, habito ad alterum respectu.

Cumque nomen hocce prædicatum sæpius legatur de fœminis, vsu tyranno quasi loquendi, primitus apud Græcæ linguæ imperitos, hinc ob consuetudinem abusiue dicti sunt atretæ fere magis, quam atreti, quod tamen ad distinctionem sexus, vel generis saltim minus decebat. Passim hoc legas, sed minus recte, confusis sic inter se illis. Rectius enim atreti dicuntur viri, atretæ de fœminis prædicantur, si Grammaticas leges, vt par est, sequamur.

Vt vero melius significatio vocis atretorum emineat, quid denotet & quantum, optimus est locus in *introductione*, seu medico, *Galeno* non immerito adscripta consignatus, vbi *οἱ δὲ λεγόμενοι ἄτρητοι, εἴτε τρῆμα ἔχοιεν λεπτὸν, εἴτε μηδόλως, qui dicuntur atreti, siue foramen habeant tenue, siue nullum omnino.*

Ex his facile patet latitudo quædam, & hinc nominum distinctio, etiam synonymorum visorum. Hinc, primi generis affectus inprimis, dicitur translate etiam *φίμος, καὶ φίμωσις*, vt, quando deduci non potest satis præputium, cui id *κατ᾽ ἐξοχὴν* tribuitur; vel anus quoque, vt intelligatur colligatio & angustia, siue coarctatio, quæ quasi callo quodam in sede atque ano contingit. Et hoc sensu venit apud *Galenum l. 9. de comp. med. sec. loc. 2. c. 6.* & *Paulum l. 3. c. 73.* vbi dicitur *φίμος περὶ τὸ στόμα τῆς ὑστέρας, ἢ δι᾽ ἑλκώσεων προηγουμένων, ἢ διὰ φλεγμονὴν σκιρρωθεῖσαν. Loci muliebres circa vteri os clauduntur vel ex precedente exulceratione, vel durata illic inflammatione.* Saltim & sic distinctius concipi & exprimi species possunt & gradus affectus.

Quod

Quod si Latinos alios flosculos attendamus, & nomina, quibus insignitus idem affectus legitur, vbertim illos velut collectos legas apud *Ianum Rutgersium Var. Lect. l. 3. c. 18. p. 302. s.* Ita enim elegantur *Tullius l. 2. de Diuinat. c. 70.* obsignatam naturam dixit. Parere quædam matrona cupiens, dubitans, essetne prægnans, visa est in quiete *obsignatam habere naturam*, (ad coniectorem) retulit. Negauit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. At alter prægnantem esse dixit, nam inane obsignari nihil solere.

Aliis loco atreti audit concretus, σύμπηξις Græce. Sic *Plinius Nat. hist. l. 7. c. 16.* quasdam, *inquit*, concreto genitali nasci, infausto omine, Cornelia Gracchorum mater indicio est. Repetit idem *Solinus c. 4.* fœminis perinde est infausta natiuitas, si concretum virginal fuerit, quo pacto genitalia fuere Corneliæ, quæ editis Grachis ostentum hoc piauit sinistro exitu liberorum. Vbi *Delrio* falso legit consertum. Vid. *Salmasius in Exerc. Plinian. ad* h. l.

Sunt, qui & *velatas* vertunt, quasi quod ipsarum matrix sit velo obducta; imo & *marmoratas*, vt plura alia non congeramus, quæ singula satis egregie & accurate exprimunt affectus notionem.

His expositis non difficulter res ipsa claret, vnde DEFINITIONEM sequentem damus: Atretorum affectus est obstructio meatuum secundum naturam patulorum, cumprimis in pudendis, a coalitione tenuiori, vel crassiori, non concesso exitu vel transitu.

GENVS, seu rationem formalem, constituit obstructio morbus communissimus, morbus conformationis, in via, meatibus & cauitatibus, porta, aditu, exitu suo instructis. Cum vero plures, sub hoc genere morborum Conformationis,

tionis, militent ſpecies, vt nullum fere latius patet, DIFFERENTIAM SPECIFICAM conſtituit obſtruendi locus magis acceſſus, materia, modus, & cauſa. Vti enim tot ſpecies ſunt obſtructionis, quot modi anguſtationis ſeu occluſionis in cauitatibus & ductibus dantur; ita hoc loco rem omnem definit & diſtinguit a reliquis inprimis coalitio laterum, vt quæ diuiſa, &, ſi non patula actu, tamen ſuo loco & tempore patere apta, & ſolita requirebantur, talia non ſint, ſed vniantur non vnienda, & porta patens non ſit.

Cumque definitiones medicæ loquantur & intelligendæ ſint de exquiſito magis morbi ſtatu, facile ſimul ſubſumere licet de eiusdem ambitu, & remiſſione, vel intenſione. Satis enim eſt adeſſe occluſionem omnimodam, vel quaſi.

CAPVT II.

De *Subiecto.*

EVolutis atque diſcusſis nebulis circa definitionem nominalem & realem ſeſe exhibentibus, nunc primarium locum ſibi vendicat SVBIECTVM, cum non parum interſit noſſe, qua in parte corporis remora infixa hæreat & reſideat.

SVBIECTVM DENOMINATIONIS, vt QVOD, concinnis atque clariſſimis verbis edicit *Celſus l. 7. c. 28.* Hoc, *inquiens*, malum commune eſſe maribus & fœminis poteſt; proprie vero quædam ad fœminas pertinent, vt inprimis, quod earum naturalia nonnunquam inter ſe oris glutinatis concubitum non admittant.

Hæc

Hæc vt in latitudine sua accepta asserta bene habent, ita in aliis se exerunt statim a primo ortu in infantibus, in aliis demum sequentibus ætatibus, seu subiectum spectemus, vt hoc loco, seu causam.

INFANTES ergo tanto magis attendendi hac labe affecti, quanto periculosius degunt, post, quam ex vtero egressi sibi viuere magis occipiunt. Seorsim vero & SEXVS. Enimuero & viris id competit, neque exempti sunt hoc reatu, quoad partes cum sequiori communes. Ast cum seorsim alias portas & vias obtineant fœminæ, easque non tantum diuersas, verum etiam pluribus cauitatibus præditas, facile inde efficitur, respectu harum frequentius etiam in hoc suos pati manes; seu genitalia respicias, seu papillas mammarum, atretas quasi naturaliter, & sine vlla noxa vel morbo, in viris visendas ordinarie.

Ad bruta & alia animalia tam quadrupedia, quam volatilia, vt diuertamur, vix quidem opus esse videtur, cum ob sensus acumen hebetius & inconstantem imaginandi vim rarius tales errores in fœtum transmittant; attamen plane exclusa neutiquam credenda, exemplis testantibus, partim alia monstra in iisdem occurrere, partim etiam atretas. Ipsimet atretam vaccinam olim vidisse recordamur, quæ clausa prius non cognoscebatur, quam cum veterinarius accedens omnes partes bene lustraret, & tandem ad locum affectum perueniret. Sic & columbam diarrhœa diuturna laborantem concreuisse & vitam expirasse nouimus. *Borellus* quoque agnum absque podice natum notauit, (seu ano non perforato,) qui tamen curatus fuit apertione, ita vt vixerit, *cent. 3. obs. 9. p. 203.*

SVBIECTVM INHÆSIONIS principale sunt omnes cana-

les atque ductus totius corporis externi, in ambitu suo considerati, & exitu præditi. Quoniam vero nonnulli horum magis & frequentius, alii minus & rarius affici amant, distingui possunt in primarios & secundarios, vt pateat, quinam agmen magis ducant, & præ aliis hanc labem subeant. Eődem res redit, si strictius has & magis proprias, latius paulo alias dari concipiamus.

Vtut vero adæquate & in internis ductibus & cauitatibus talis casus dari queat, vti de pyloro coalito vel quasi memorant nonnulli, ne de intestino cœco, & aliis, vel vesicæ etiam orificio interno dicamus; frequentius tamen illæ obstructiones alterius fere sunt generis, neque hoc nomine communi loquendi vsu hinc gaudent, ad angustationes v. gr. magis referendæ, & clausuras alias.

Formam itaque affectus illustrat subiecti localis seu vt QVO consideratio generalis & specialis. Illam constituit cauitas accessa, extima, vel quasi, limitanea, manifesta ceteroquin & patula, velut callo quodam obducta quoad parietes, contigua quidem, sed non continua, hians saltim ad certum actum immissionis vel emissionis.

Hanc vero determinant hinc & sustinent loca tali conditione gaudentia, quæ breuiter ordine videre integrum est. Prodeant primo loco atretæ fœmellæ, quarum clausura omnibus reliquis quasi antecellit. De hac optime agit, ne plures laudemus alios, ex antiquioribus fusius *Ebnsina l. 3. fen. 21. Tr. 4. c. 1.* ex recentioribus concisius *Sennertus l. 4. prax. part. 1. f. 1. c. 3.* Est, *inquit*, triplex atretarum seu clausarum genus. Etenim clausura hæc est vel in orificio pudendi, seu pudendi alis, vel in ceruice vteri, seu intermedio loco, vel in ipso vteri orificio.

Quam-

Quamuis vero, si strictius singula prosequi velimus, vel quatuor possint tales clausuræ portarum dari, si labia interna, seu nymphas & alas seorsim spectemus, coalescere posse; vix tamen id opus fuerit, quin tres hi modi abunde sufficiant.

Prior modus omnium maxime obuius esse potest, alter medio modo se habet, tertius obscurior magis, & intimioris indaginis, vt sub signis id repetemus, ipsaque therapia. Singuli suos habent gradus, & diuersitatem non vnam.

Fallor? an huc etiam decantata membrana & Græco hymenis nomine celebrata referri mereatur. Hanc alii angustiæ adscribunt, alii conniuentiæ caruncularum myrtiformium, alii actuali membranæ, eique etiam perpetuæ, & in quarto quasi modo propriæ. Sufficit nobis, ne extra scopum nostrum euagemur latius, non esse essentiale & proprium virginitatis genuinæ argumentum talem membranam, vt, quæ eadem careant, stupratæ habendæ sint, sed vel lusum sæpe naturæ, vel ad atretas quoque aliquando referendam; imo in quibusdam inferius & extrinsecus magis occurrere, indeque oriundam sanguinis profusionem non absolute & semper esse necessariam.

Quod vero non semper pateat, vel manifestetur hæc clausura, & physicæ & morales causæ satis edocent, quandoquidem ita comparata est, vt vnusquisque ex masculis ægerrime patiatur hæc loca, etiam vrgente vsu, intueri, nedum in virginali hoc statu, & vbi nulla æque vrget necessitas: qua exerente se, nec tunc æque fit admissio. Nouimus sic vnam alteramque fœminam inaccessam viris maluisse consenescere, & sibi viuere, quam illum intempesti-

uum pudorem exuere. Adeo, verbis *Celsi*, eorum etiam curatio cognoscenda est, quæ inuitissimus quisque alteri ostendit.

Alterum ex pudendis atretis locum occupat *anus*. De hoc imperforato in vtroque sexu pleni sunt autorum plurimorum libri, quos largo numero congessit *Waltherus in sylua medica p. 74.* facile ex hinc inde colligendis & reperiundis augendo numero, vt non opus sit illos huc transcribere, cum in reliquis capitibus quoque huius occurrat mentio.

Ne tamen sicco prorsus pede omnia prætermittamus, exprimere quosdam licebit. Sic *Paulus Ægineta l. 6. c. 81.* anus imperuius in infantibus ab ortu interdum reperitur, ex membranæ obductione. *Hier. Fabricius ab Aquapendente in Chirurg. Operat. p. 284.* interdum nasci pueros, scribit, cum ano non perforato; quod dupliciter contingit, vel enim in eo foraminis saltim vestigium apparet, vel nullum conspicitur. *Borellus Cent. 1. obs. 77.* vidit puerum podice imperforatum, qui vero, quia tarde foraminis illius defectum animaduertit, antequam operatio celebrari potuerit, e vita discessit. Vlterius vid. *Hildanus Cent. 1. obs. 73. Scultetus in Armam. chir. p. 165. Sennertus l. 3. pract. part. 2. s. 1. c. 3.* & alii.

Tertio loco esse possunt atreti quoad glandem & mentulam virilem, hunc censum quoque subeuntes, & passim apud authores obuii. Sic *Paulus l. 6. c. 54.* Multis, *inquit*, a natali die glans minime perforata est. *Amat. Lusitanus cent. 1. cur. 23:* Infans natus annos duos, ab ortu suo glans illi perforata non fuit, nec vestigium aliquod in ea, vbi foramen esse debuerat, apparebat; ad radicem tamen eius prope testiculos foramen erat, per quod lotium non guttatim

tim fluebat, sed directe emanabat. Plura exempla videantur *apud Wierum l. 1. obs. p. 943. Horstium l. 4. obs. 16. Sennertum lib. 3. p. 9. s. 1. c. 10.* alios.

Et hæc loca sunt, per dicta, omnium præcipua, quibus addi possunt reliqua quoque atretorum exempla secundum ventres reliquos.

Oculos ipsos duplici loco coalescere obseruatum est, tum quoad palpebras, vt aperiri non potuerint, tum quoad tunicam adnatam ipsi bulbo, quod ab vlcere, ab iniecto puluere calcis viuæ, ab ophthalmia etiam tale quid enatum vidimus, frustra bis sectione facta.

De illis omnium instar legi meretur *Celsus l. 7. c. 7.* Interdum, *ait*, inter se palpebræ coalescunt, aperirique non potest oculus. Cui non raro solet etiam illud accedere, vt palpebræ cum albo oculi cohærescant, quod ἀγκυλοβλέφαρον Græci vocant. Alii adhæsionem, coalitionem, conglutinationem accusant. Videri quoque adhæc possunt *Paulus Ægineta l. 6. c. 15. Aetius tetrab. 2. s. 3. c. 64. Guil. Fabricius obs. chir. cent. 6. obs. 7. Ionstonus id. med. pr. l. 8. t. 3. c. 1. &* alii plures

Idem de *auribus* verum est, & valet. Imo ausimus dicere, nullam esse partem peruiam, quæ non obstrui possit, nullam portam, quæ non coalescere. Idque, eiusdem *Celsi* effato *l. 7. c. 8.* solet euenire, vel a prima natali die protinus, vel postea, facta exulceratione, deinde per cicatricem aure repleta, vt foramen in ea nullum sit, ideoque audiendi vsu careat.

Hæc, si velimus ad omnes alias species atretorum applicare, iisdem verbis, mutato saltim loco, effari possumus & concipere seu prædicare. Similium enim & hic ea-

dem eſt ratio. Vid. *Paul. Ægineta l. 6. c. 23. Th. Bartbol. biſt. anat rar. cent. 6. biſt. 36. Melch. Sebit. manual. ſ. ſpecul. med. pract. T. 1. part. 2. ſ. 6. c. 8.* &c.

Idem de *ore* & commiſſura labiorum certum eſt, cuius rei inſigne exemplum habet *Horſtius*, quod inferius recenſebimus, & *Sennertus l. 2. prax. ſ. 1. c. 6.* vterque enim modus & hic, & in aliis locum habet, vt ſi non atreti ſint primi modi, ob coalitum membraneum, tamen ſecundi modi, per excreſcentiam.

Et ſane ipſe angiportus faucium *pharyngis* & *laryngis* ita quoque obſtrui coalitu mediante poteſt. Quidam Zythopœus ante quamplures annos laborauerat per aliquod tempus excreſcentia tali, quæ neglecta ita tandem excreuerat, vt tandem plane fame moriendum eſſet ob magnitudinem, & chirurgiam inacceſſam.

Non minus circa *nares* idem viſum fuit, de quo conſulantur *Aetius Tetrab. 2. ſ. 2. c. 96. 97. Ebnſina l. 3. fen. 5. tr. 2. c. 6. 7. 8. Oribaſius l. 8. Synopſ. c. 56.*

Tacemus etiam in his vtrumque modum obtinere, vel membrana obducta, vel excreſcentia, eaque coalita, quod in polypo aliquando, nimium quantum excreſcente & diſtendente, vidimus. Vtrobique eſt obturatio, cum coalitu vero proprie magis dicta, & ſic atretis conueniente.

Imo nec deſunt, qui in *artubus* extremis tale quid paſſi ſunt, vt teſtatur *Celſ. l. 7. c. 32.* vbi curationem digitorum cohærentium tradit, ſi vel in vtero protinus, vel propter communem exulcerationem poſtea cohæſerint. Vid. & vlterius *Marc. Aur. Seuerin. de effic. med. c. 104. p. 113. Pyrotechn. Chirurg. l. 2. p. 1. c. 69.*

Denique nec *papillæ* mammarum intactæ ſunt relinquen-

quendæ, ſeu obliterentur penitus, ab abſceſſu, vel defectu, vel imperforatæ ſint, quo de *Blaſius med. vniuerſ. p. 6. ſ. 2. c. 12. p. 196.* legi poteſt.

CAPVT III.

De Cauſis.

VT omnis effectus teſtatur de ſua cauſa, & ad demonſtrationem, adeoque ſcientiam genuinam, vtrumque noſſe par eſt; ita idem etiam circa atretorum notionem merito attendendum venit. Neque enim morbum vel noſſe vel curare integrum eſt, niſi cauſam nouerimus, & vtrumque hinc artificioſe auferamus.

Vix melius ad cauſarum luſtrationem procedere poſſumus, quam ſi medicis autoribus iungamus præuium Philoſophorum Principem. IMMEDIATAM nempe ſine dubio conſtituit vno verbo σύμφυσις, *vnio*, coalitus, concretio, vnitas indebita, coagmentatio, cohæreſcentia, connaſcentia, ſi ita loqui licet. Hac enim poſita in partibus alias per naturam diuiſis, nec vnitis, adeſt morbus; & illa ablata, ita quidem vt talis maneat, tollitur.

Expreſſe hanc ipſam nominat *Philoſophus l. 4. de generat. anim. c. 4.* vbi ſemel iterumque, tanquam in ſede, de hoc affectu meminit, tum in genere τοῦ συμπεφυκέναι, tum in ſpecie συμπεφυκέναι τῶν πόρων, coalitus pororum, vel fibrarum potius, per poros.

CAVSA MEDIATA PROXIMIOR, *eiusdem* verbo *l. c.*, optime, & ſimplici effato laudari meretur σύναψις, id eſt, *contactus,*

tactus, intimior scilicet, coniunctio, copulatio, talis quippe coire facit, ferruminat, conglutinat, coniungit, etiam vi vocis emphaticæ.

Quamobrem, vt hæc magis pateant, non intelligimus contactum tam solidorum, ita enim contingunt se quamplures memoratæ portæ, anus, penis, labia, & reliqua, quam fluidorum; non contiguum externum, & superficiarium, sed continuum, & intimiorem, seu internum.

Cum enim omnes partes solidæ, ipsaque ossa, vngues & pili, agnoscant originem suam ex fluidis, quæ sunt solidarum elementa, vel a posteriori etiam in adultis id patet, quomodo coalitus talis fieri soleat & possit.

Enimuero si circulatio sanguinis limitanea & definita esse desinat, pariete intergerino veluti diruto, vndecunque demum, vel a sola ligatura constanti, id fiat, simul confluentia fit, vt ita loquamur, seu ξύῤῥοια μία, ex illa communione, ex illa συνάψει reuera fit coalitus, & sic atretus, vel atreta. Q. E. D.

Sed videamus iam porro causarum ordinem reliquum, seu remotiorum quoque loculos. Si ex REMOTIORIBVS SVPERNATVRALES laudare velimus, vt in omnibus morbis, ita & extraordinariis talibus magis, merito etiam Creatoris O. M. formantem manum, & τὸ θεῖον varians exosculari par est. Quando hinc in sacris, vt non semel factum legimus, clausi vteri a diuino numine fit mentio, hoc ipso donum fœcunditatis & conceptionis vnice eidem recte asseritur, & liberos esse diuinum munus. Non æque vero tam actualis & physicus coalitus vteri, qualis est in atretis, proprie intelligendus, nostro quidem arbitratu, quam sterilitas ipsa, videtur.

Ad

Ad dæmonis vero insidias, vel concursum, vtpote non nisi limitatam & concessam nocendi vim, tum a diuino Numine potissimum, tum, iuxta *Helmontium*, ab homine venefico habentis, non temere & hic recurrendum est.

Ex mediatis remotioribus NATVRALIBVS laudari potest DISPOSITIO HEREDITARIA, quatenus idea peregrina, intimius spiritibus impressa, inordinationes eiusmodi in coalitu quoque aliquando patrare vel inuitare consueuit. Nouimus integram familiam, quæ digitorum coalitionem multifariam offerre solet, vt modo duo, modo tres cohæreant, & non vno modo vniti visantur, indeque & figura & numerus variare obseruetur.

Sunt, qui angustiam vteri laudant, vt *Blasius l.c. cap. 15. p. 261.* si ob positum arctiorem pars hæc vel illa prematur magis, vt, adhæsionem sic sortita, coalitum pariat. Quorsum & motus spasmodici, casus matris, indeque læsio embryonis localis, referri possunt.

Astrologi ab infaustis Veneris genetricis (ab Ethnicis & in nummis antiquis) vocatæ aspectibus etiam monstra, eunuchos, hermaphroditos & atretos fieri volunt, nominatim, si iuxta *Ptolemæum in tetrabibl. l. 3. c. 16.* a Saturno vel Marte infaustis aspectibus lædatur; vbi eleganter *Proclus* atretas describit *μὴ ἔχοντας τρυπήματα, μηδὲ διέξοδον, homines foramine ac exitu destitutos.*

Tacemus ætatem tenellam in embryonibus, vbi omnia sunt mollia & filamentosa, vt facile confluere succus nutritius possit, & coire fibrillæ membraneæ non satis firmæ, maxime si humores viscidi, lenti, magis obtingant.

Ex classe causarum NONNATVRALIVM illa huc spectant & conferre symbolum queunt suum, quæcunque aberrationi

tioni vel inordinationi idearum formatricium, seu archei, seu spirituum, seu naturæ, φύσις ἀπὸ τοῦ φύεσθαι dictæ, vtcunque nominaueris, quandam remoram interstingere vel inferre possunt.

Posito enim vno absurdo vel inconuenienti in delineatione illa typica, facile ponuntur plura, vnde id cum monstris, næuis maternis & aliis anomalis atreti habent commune. Obiecta enim incurrunt in sensus, quos mouent, sensus in spiritus, spiritus in humores, humores seu fluida in partes solidas agunt.

Cum itaque fœtus in vtero nutriatur, augescat, formetur, secundum suum ordinem impressum a summo statore, etiam in figura & nominatim ad coalitum fieri & imprimi potest dispositio. Idque inprimis valet in delicatioribus, debilioribus, tenerioribus, quoad spiritus, humores & texturam reliquam, vnde & non promiscue id fit.

Principem hinc tenent locum, præter alias omnes, ex nonnaturalibus, ANIMI PATHEMATA, ira, terror, tristitia, mœror, curæ & reliquæ passiones animæ, quæ matrem, & in hac matricem reddere possunt indispositam, interturbare spiritus, percellere & alterare. Cumque infans viuat vita matris, in hunc deriuatur labes facile, vt vel næui, vel excessus, vel defectus, vel vno verbo in vniuersa conformatione mechanica consurgat facilis error ac labes, vt taceamus CIBOS viscidos, lentos, mucilaginosos, gelatinosos, aliosque errores in diæta commissos.

Nec PRÆTERNATVRALES causæ morbificæ abludunt, quin vel connatam talem clausuram vel adscititiam inferre visantur, non raro etiam in adultis, seu reliquis ætatibus.

Faciunt huc sectiones, vlcera, vulnera, tumores, ex-
crescen-

crescentiæ, tubercula, & læsiones violentæ aliæ, vnde concretiones, calli, contracturæ & læsiones hinc variæ. Sic v. gr. pessime vtplurimum cedere solent & coalitum inuitare sectiones quæcunque oculorum. Ita cum a calcis viuæ inspersione oculus labem contraxisset, nebulam & crassamentum post se trahens, hoc pacto coalitio longe maior successit. Quidam scholæ collega cum nescio quam sectionem sustinuisset, ad auerruncandam carunculam, inde manifestum coalitum patiebatur, &, reiterata hoc nomine sectione ab empirico, peiorem recidiuam in se deriuabat, coalitionem maiorem priori.

Ita vulnera, vlcera, partium contiguarum, nisi interstingantur, vel colligentur potius, manifesto & breui cohærent, id quod in ossibus ipsis accidit, & eorum articulationibus. Quidam Chirurgus, neglectu hoc in brachio fracto, priuilegium motus huius inflexorii amisit non vtendo, facta coalitione, vt vnirentur improuide, quæ distincta esse oportebat.

Manifestum exemplum est caruncula penis, cui nisi obuiam eatur, per condebita absumentia, periculum subit coalitus, & consequenter ischuriæ. Idem in ano contingere potest, seu ficus & condylomata ibi enascantur, neglecta, seu excrescentiæ aliæ fortiores, mortem sensim tandem offerentes, obturato & occluso tandem penitus angiportu, & sectione tantum non exacerbatione maiori facta. Ne repetamus, posse & intra corpus talem, in cauitate aliqua hic illic, contingere per coalitionem, obstructionem, ex eadem causa.

Partus item difficilior aliquando coalitionem vaginæ induxisse visus est, vnde conceptio quidem hinc fieri potuit,

tuit, minus tamen exſolui fœtus exitum ambiens; ne dicamus, quasdam, conſtrictionem amplitudinis quærendo, hinc pœnam conaminis luere viſas, maiori & impenetrabili fere anguſtia.


Tacemus & alia fermenta morboſa, ſaltim in adultis, poſſe non parum ad hæc talia conferre. v. gr. ſcorbutica, vel venerea quoque, vtraque putrilaginem lymphæ, viſcedinem, acrimoniam, coagulatam reſpectiue, habentia. Venena item & obuiſcantia varia ac adſtringentia, vnde hæc monſtra obueniunt in medicina.

Inde vero ſiue fibræ membraneæ, tenues ſaltim, in ſuperficie coaleſcant, ſeu fibræ magis carneæ conglomerentur & extuberent, vtroque modo obſtructio cum laudato ſæpius coalitu parietum enaſcitur.

Atque hoc eſt duplex illud velamentum, iam tactum, quod vt ſignum & vt cauſa conſiderari amat, id quod in atretis omnes fere autores agnoſcunt. Dudum vero & huius mentionem facit claris verbis, merito huc applicandi, *Cous l. de arte, c. 17. t. 8.* πᾶν τὸ ἀσύμφυτον, ἤν τε δέρματι, ἤν τε σαρκὶ καλύπτεται, κοῖλόν ἐστι. *Omne inconcretum*, (quod non coaluit,) *ſiue pellicula, ſiue carne contegatur, cauum eſt.* Confer eundem *l. de carnib. c. 3.*

CAPVT IV.

De Differentiis Atretarum.


EX hactenus aſſertis facili negotio DIFFERENTIÆ affectus erui poſſunt. Ratione GENERIS enim, alia eſt *vera*, exquiſita, perfecta, plenaria & proprie dicta, a coa-

a coalitu talis: alia ἀκύρως, ab obſtructione, alia *ſpuria*, imperfecta, intentata magis. Alia recens, alia radicata, alia curabilis, alia incurabilis, alia æqualis magis, alia inæqualis, alia recidiuans.

Ratione CAVSÆ, alia eſt *natiua*, connata, a primo ortu & natiuitate; alia *adſcititia*, morboſa, acquiſita. Alia porro *membranoſa*, alia *carnoſa*. Quin imo tot differentiæ occurrunt, quot cauſæ.

Ratione SVBIECTI, alia eſt *ſimplex* & ſolitaria, quando ex ſæpius nominatis ductibus vnus tantum præcluditur, v. gr. tubulus inteſtinalis, vel vrinarius, vel alius &c. Alia *compoſita* quaſi, & geminata, ſi ex prædictis tubulis duo imperforati ſunt, v. gr. ſi anus & genitalia imperuia ſimul deprehenduntur, quod tamen rarius viſum eſt. Alia eſt *ſuperficiaria*, exterior, ad quam liber acceſſus datur; alia *profundior*, interior, & magis radicata, vbi tam prompte oculis & manibus pertingere non licet; alia eſt *media*, ad quam inueſtigandam inſtrumentis opus. Sic conſequenter alia eſt *patens*, oculis obuia; alia *latens* paulo, ad certum tempus deliteſcens, vt in genitalibus fœmineis, & aliis.

CAPVT V.

De Signis diagnoſticis & prognoſticis atretorum.



QVamuis in atretis vix videantur SIGNA DIAGNOSTICA neceſſaria, cum obuiæ ſint occluſæ portæ, & ſtatim quaſi pateant non raro; tantum abeſt tamen, vt negligi

gligi hæc debeant, vt potius summe sint necessaria. Neque enim omnes species & loca æque patent, vel attenduntur quoque confestim, quin sæpenumero etiam hic occurrat fallacia non causæ, vt causæ.

Ratione GENERIS itaque dignotio morbi sensibus minimum inquirenda est in genere. Vbicunque vel adest, vel præsumitur saltim clausuræ præsentia, opus est (1.) *oculari inspectione.* Patet id facillime in infantibus recens editis, modo huc dirigantur oculi, v. g. si podex sit imperforatus, si vrinæ exitus occlusus, si labia, oculi, & sic porro obturata visantur.

Vti vero mature in illis de his prospiciendum est; ita de reliquis in progressu saltim, si in quæstionem veniat status atretus, inquirendus vel inuestigandus, vel inspectio ipsa locum habet.

Opus est (2.) *tactu*, vbi intimius paulo residet morbus, & locus affectus minus visui obuius. Præcipit id ipse *Cous*, ἅψῃ, *contingas*, inquit *l. de natur. mul. c. 62. t. 1. & l. 1. de morb. mul. c. 36. t. 1.* ἢν γονὴν μὴ δέχηται ἡ γυνὴ, τῶν γυναικείων κατὰ φύσιν ἐχομένων, ἡ μήνιγξ ἐπίπροσθεν τοῦ στομάχου ἐστί. *Si mulier non excipit semen, mensibus secundum naturam prodeuntibus, membrana preposita est, & l. de sterilit. c. 13. t. 1.* addit, πᾶσαν ἀνάγκη μήνιγγα ἐπιπεφυκέναι ἐν τῷ στόματι τῶν μητρέων, *necessum est membranam supercxcreuisse in osculo vterorum.*

Hic enim est, natura præside, turpe nihil; siue id digito exploratore, medio illo, vel alio quoque, vt pollice ipso, fieri queat, siue candela cerea minore, seu specillo quoque aliisque mediis. Vti sunt, qui speculo vterino quoque vti iubent, quod tamen difficilius fere admitti consueuit, vel adhiberi quoque.

Vbi-

Vbiuis vero, quod *Celsus l. c. l. 7. c. 8.* exemplo auris hinc docet, attendendum. Quod vbi accidit, *inquit*, specillo tentandum est, altene id repletum, an in summo tantum glutinatum sit; quod hoc loco ad diagnosin satis est, vbi & plura egregia habet, huc addenda, ad curationem.

Ratione Svbiecti ergo, vnumquodque membrum, cuius orificium, etiam laxius sumptum, obturatum vel ἄτρητον est, seorsim, quoad hæc & alia, considerandum, quænam pars, & quousque laborans, seu affecta. Hic vero & illud monendum, cauendum esse, ne error in diagnosi hac fiat, siue obstructionem aliam habeamus pro coalitu, differente causa; siue ponamus & concipiamus atretam, nam in fœminis id κατ' ἐξοχὴν opus est, quæ talis non est, nisi fictitia & putatitia.

Exemplum tale insigne legi meretur apud *Ammannum in Irenico p. 154.* vbi quædam virgo, pro atreta habita, iudicialiter rescissionem matrimonii passa, ab alio postmodum iuuene quadrato & maxime neruoso inita, citra dolorem & resistentiam, impraegnata, & sic priori marito apta reddita legitur.

Tacemus, ob simplicitatem nouellorum coniugum tale quid contingere, non vno errore, donec meliora ad processum necessaria fuerint edocti; ob procidentiam item, etiam in virginibus dabilem, nec semel sed iterum iterumque visam, & aliis de caussis talem statum fingi posse.

Dantur etiam casus, vbi ob intempestiuum pudorem fœminæ, & simplicitatem, ac patientiam mariti, cognitio subiecti & causæ fieri non potuit. Ita nouimus rusticam fœminam vel ideo incurabilem, quod nunquam, vt in-

spectio-

fpectionem vllam concederet, perfuaderi potuit, fibi hinc relinquendam, cum patientiffimo fuo marito.

Cum itaque præcipuum quafi fubiectum conftituat vterus, huius figna perpendi merentur. Si extremitas vteri extima, feu pudendum ipfum claufum fit, id maxime obuium eft, & difficultate caret, falua inprimis vrethra pro vrinæ emiffione. Reliqua vero claufura patitur moram ad annos vsque pubertatis.

Sin vagina, feu aditus medius, coalita fuerint, id non nifi diductis labiis, vel dictis iam modis, vel, quod fere melius & certius iudicatur, inftrumento etiam eburneo, quod μητρεγχύτῳ vocant, vt apud *Ammannum l. c. Iren. p. 155.* exploratur.

Altioris indaginis & rarius paulo eft claufura quoad orificium internum, de *quo vid. Cous l. cit. de fteril. c. 13. t. 1.* fiue a connato vitio idem præfumatur, feu mutato per varia accidentia ftatu priori. Et hæc contactu profundiori eget, quamuis magis a pofteriori & fymptomatibus coniunctis id colligi debeat. De reliquis vt plura fpecialia dicamus, vix opus eft, fimilium enim & hoc loco eadem eft ratio.

Signa CAVSARVM ad duo fumma illa laudata genera referenda, quæ vna modum exprimunt. Si fola fimplex membrana adfit, cum veftigio quodam loci ordinarii, v. gr. ani imperforati, cum mollitie, & facili ceffione, caufa eft facilior vt cognitu, ita auferenda quoque. Sin excrefcentia fit dura ad contactum, & minus locus patulus, eaque vel æqualis, vel profundius etiam radicata, alter hic modus & grauior caufa. Vlcera prægreffa & alia e fignis ἀναμνηστικοῖς huc referenda.

Vifen-

Visendum vero hic quoque inter signa, an aberratio sit limitata, & alio loco quasi restituta, vt si vrina ad anum, vel feces alui aliorsum, imo ad os ipsum emanent. Vid. hic *Io. Thom. Minadous de corp. turpitud. l. 1. c. 18.* qui in puella, cui anus imperforatus fuit, intestinum rectum in antrum vaginale terminare deprehendit, ne alios plures laudemus.

Faciunt huc denique symptomata, seu postessentialia phænomena, quæ ipsam quamcunque clausuram sequuntur. Sic ano clauso adstricta est aluus, nec quicquam secernitur, fiunt ventris intumescentia, dolor, vomitus ileosus, vrina retinetur, & huius regurgitatio versus τὰ ἄνω contingit. In vteri vero clausura seorsim ingressus & egressus est prohibitus. Egressus mensium denegatus non solum cum suppressione alia communia habet signa, sed etiam propria, dolores pudendorum & naturalium reliquorum, lipothymias, anxietates, & inprimis si nunquam fluxerint.

Idem dictum esto de singulis eorum classibus. Præsente enim læsione tali morbosa in conformatione necessum est, symptomata omnis generis, actionum læsarum, pro cuiusuis partis modulo, qualitatum mutatarum & excretorum & retentorum consequi, quæ facile per se clarent.

PROGNOSIS etiam delibanda venit, ex diagnosi comparata, ad vires & statum machinæ vitalis. Hanc enim si ex suis loculis lustremus, SALVTIS & MORTIS ratio patet ex regulis mechanicis, seu dictæ mediæ conformationis intuitu.

Vti ergo vel absolute ad vitam & sanitatem sunt necessariæ portæ, orificia, quibus ingressus & exitus absoluitur, vel saltim ad bene esse, prout item vel indiuiduum vel speciem concernunt; ita iudicium ferendum de atretorum præsagiis.

Ingressus quidem seu admissio denegata aeris vitæ non obest, vt in aurium & oculorum coalitu, actio tamen læsa præsto est, vel curabilis, vel incurabilis, abolita vel imminuta. Sin anus imperuius, vel reliqua orificia dimissoria, nulla arte reparabili malo, & ex toto quidem, mors præsentanea timenda & prædicenda; si vteri clausura insuperabilis, si non periculum vitæ, certa tamen sterilitas arguenda.

Liceat hic iterum laudare locum insignem *Philosophi* de hac ipsa parte *l. 4. de gener. animal. c. 4.* per interpretem latinum ita redditum: Fœminis nonnullis os vteri compressum, (coalitum potius, συμπεφυκός,) corporatumque ab ineunte ætate ad tempus vsque menstruorum perseuerauit, mox vrgentibus menstruis, doloreque infestante, aliis sponte disruptum est, aliis dissectum a medicis. Nonnullæ interierunt, cum aut per vim disrumperetur, aut disrumpi non posset.

Addit: pueris etiam quibusdam genitalis extremum & meatus, qua excrementum vesicæ transit, non eodem tetenderunt, sed infra meatus ille transegit. Imo & anum coaluisse quibusdam bestiis, vt ouibus, & quibusdam aliis. Nam & vaccam fuisse Perinthi, cui cibi excrementum per vesicam transmittebatur, dissectusque anus denuo propere coalescebat, nec resecando vitium deuincere poterant.

Confirmat *idem l. 10. Hist. Anim. c. 4.* sunt, *inquiens*, nonnullæ fœminæ, quibus a principio sui ortus matricis oræ modo quodam coaluere. Aliis propter cuiuspiam morbi vim ita euenit; qui morbus in nonnullis sane medicabilis est, in aliis non item.

Ex

Ex his sane, si non omnia, saltim pleraque, quæ hinc a recentioribus sunt obseruata, dudum claruisse apparet, & maxime circa prognosin ipsam. Ratione SALVTIS & MORTIS, vt aliæ obstructiones etiam morbos acutissimos & breui mortem inferre possunt, ita & clausura hæc, vel ileo, vel, regurgitatione ad vitalia pertingente, suffocatione.

Neque longius vita perstare potest, nisi vel aliorsum vicariam viam suppleuerit natura, vel robore eiusdem ad aliquot dies producatur. Tacemus hinc vias alias pro alui fecibus, pro vrina & sic porro ex alienis locis obseruatas, vti iam ex *Philosopho* instar omnium locum laudauimus. Vid. *Minadous l. c. Schenckius in obseru. Moronus in director. med. practico*, & alii passim. Adeoque status hic, si tolerabilis, & curari non possit, συναποθνήσκεται, *commoritur*.

MODVS EVENTVS ad *salutem* terminatur, libertate naturali concessa, & reddita; ad *mortem*, denegata serius ocyusque, prout clausura hæc vel inter morbos acutos ambulat, vel, pro re nata, chronicos, vel medios quoque ipsos. Exemplum, ita totum os coaluisse, & clausum denuo tandem mansisse, licet semel iterumque per incisionem apertum, mortemque intulisse, habet *Horstius l. 4. obs. 55. p. 258.*

Ceterum de ἀτρησίᾳ accidentali, & vna menstrua, vnde non temere omnem atresiam, quæ infantibus puellisque euenit, pro periculosa habendam esse, declaratur, & ab excoriatione oriri ac repullulare posse, elegantem locum vid. apud *Pechlinum l. 1. obs. 25. p. 58.* Legi etiam meretur *Ephemer. Germ. Dec. II. Ann. VI. obs. 58. p. 138.*

CAPVT VI.

De

Curatione.

CVm omnia hactenus dicta propter certum finem, tollendi nempe coalitum & clausuram in atretis, instituta sint, merito CVRATIONEM hanc secundum methodum medendi aggredimur, indicationibus demonstratiuis innixam, & indicatis debitis absoluendam.

INDICATIO CVRATORIA, quæ morbum ipsum respicit, alia generalis laudari potest, alia specialis, ne specialissimam, pro cuiusuis partis vel indiuidui quoque modulo attendendam, memoremus.

Generalis respicit summum genus, & vt omnis obstructio apertionem indicat, subalterna & specialis causam specialem, quod scilicet coalitum est, id diuidendum, quod clausum, reserandum, quod incarceratum & imperuium, dimittendum est.

PRÆSERVATORIA respicit causam, seu natiuam, seu adscititiam & morbosam, vndecunque ortam, quæ nisi auferatur, saltim non constans fit & consequitur apertio.

VITALIS consulit vrgentiæ forte occurrenti & symptomatibus consequentibus, dolori, hæmorrhagiæ, inflammationi, vel quæ alia euenire possunt, saltim quantum possibile est.

EX FONTIBVS PRÆSIDIORVM, seu indicatorum, princeps & optime ex vsu hoc loco est CHIRVRGICVS. Hic enim vel solus sufficit, vel reliquis saltim antecellit. Enimuero præsentanea χειρεργίᾳ reserandus est coalitus, & tollenda clausura; cum distinctione tamen, tum partium affecta-

ctarum, tum apparatus. In genere vbicunque obuia est clausura, apparens sensibus, si membranea, tenuis & pellucida, vel quasi, in omnibus velut speciebus, vna simplex sectio sufficere potest, exigua vel nulla differentia.

Exemplo sit auris ἄτρητος, perforatione & vacuo spatio carens, eiusque, iuxta *Celsum l. c.* curatio, quæ ipsa facile ad reliquas species applicari potest. Si alte est, *inquit*, prementi non cedit: Si in summo, specillum facile recipit. Illud attingi non oportet, ne sine effectus spe distensio oriatur neruorum, & ex ea mortis periculum sit. Hoc facile curatur. Nam qua cauum esse debet, vel medicamentum aliquod imponendum est ex adurentibus, vel candente ferro aperiendum, vel etiam scalpello incidendum.

His ipsis & sequentibus vniuersam, singulis applicandam facile, curationem explicat. Adeoque vel minori, vel medio, vel maiori apparatu absoluitur, addita etiam differentia, vel obseruatione partis affectæ. Simplicissima est, & minimi apparatus SECTIO, vel diuulsio, διαίρεσις, modo prouide fiat.

Hoc sensu, verbis *Ebnsina*, curatio clausuræ (pudendi muliebris) est cum ferro, & non cum alio. Hinc legas sæpius obseruationes, curatos atretos sola hac, nulla quasi mentione plurium, reliqua enim fere, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, minimum supponuntur. Infans nostra memoria, cum anum clausum haberet, matura animaduersione, & sub laudata ratione, cum vestigium velut cicatriculam reliquisset natura, sola lancetta fissura facta, curatus est a morbo. In alio cum id neglectum esset, mortuus est infans, post vnum alterumque diem, iliaca passione correptus.

Valet id in perfecta clausura, seu omnimoda, totali, non minus ac imperfecta, quamuis in hac longe facilius.

Vtriusque exemplum legi poteſt, de vuluæ clauſæ apertione, apud *Moinichen Obſeru. med. 13. p. 247. annexis cultro anatomico Lyſeri*, & in prima quidem hiſtoria, vbi a primo ortu clauſa, cum exiguo tamen foramine, vix piſum capiente, pro vrinæ & menſium egreſſu, conceptione nihilominus facta, a chirurgo, ne in partu tandem grauius periculum ſubiret, vnita labia ſectione chirurgus diremit. Ipſe vero idem autor ab ortu vnita vuluæ labia in tribus puellis Romæ ſectione curauit.

Notauimus typographi cuiusdam coniugem ſterilem in vrbe primaria hoc pacto curatam & reſtitutam. Plura hinc inde quoque relata & notata leguntur; vid. *Schenck. obſ. p. 565.* Maiori vero apparatu opus videtur, quando minus extimis oris acceſſus, conſpectus & contuitus datur. Non opus vero eſt, vt his recenſendis immoremur longius & fuſius; ſufficit id fieri debere lege artis, cum debito pudore, & modeſtia, in latebris pudendorum. Fuſius vero ἐγχείρησιν hanc tractat *Ebnſina peculiari capite, Wierus in obſeru.* & alii, antiqui & moderni, a quibus illa & ſimilium repeti poteſt medendi ratio latius.

Hic vero addi & attendi poſſunt quædam merito. Et primo quidem de quæſtione, an atretæ, imperforatæ & laborantes corporis arctitudine, teneantur inciſionem, aliudue inſtrumentum etiam dolorosa cum apertione corporis pati.

Affirmatiue reſpondendum non facile diſſenſerit, qui partim neceſſitatem abſolutam conſiderauerit, ad emittendum concretum & collectum ſanguinem, vel materiam aliam ad ſeruandum *indiuiduum*, ceteris præſidiis fruſtra adhibitis; partim ſecundum quid, ratione *ſpeciei* ad concipiendum, generandum & pariendum, aptanda ſic fœmina,

adeo-

adeoque coniugii finem impetrandum, vel diſſoluendum quoque, ſi quidem id deſiderauerit pars altera.

Quam ob rem etiam in foro, in vtroque ſexu, quandoque idem a medicis & chirurgis inquirendum, decidendum, vel definiendum eſt vtique, ad iuſſum magiſtratus, conſenſu præuio & comite, vt omnia fiant decenter, κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην.

Inſtar omnium de his legi meretur *Michael Boudewyns* (Balduinus) *in ventilabro medico-Theologico part. 2. quæſt. 19. p. 404.* vbi & plures alios citat, qui de his egere.

Porro non niſi ad maiorem apparatum ſpectat *ſpeculum vterinum* dictum, id quod tamen magis ad diuidendam & ampliandam cauitatem, quam explorandam videtur applicandum. Quod enim fieri per pauca poteſt, id, vt per plura fiat, non attinet; vt in quampluribus operationibus chirurgicis idem verum eſt omnino. Et ſic quoque minus id terrificum eſt, apud Germanos præſertim. Ceterum hoc ipſum, & plura alia huc pertinentia, deſcribit fuſius *Wierus in obſeruationib. l. 1. p. m. 934. ſeqq.*

Vtut vero &, præter ferrum, ignis mentionem faciant autores, vt ex *Celſo* diximus; attamen aduſtione quoque hac actuali rarius vtimur, niſi forte ad impediendam recidiuam, ſeu continuatum coalitum, ea quis vtendum putet, quo tamen carere poſſumus facile; vel aliud quid vrgeat ſingulare, vt in excreſcentiis repullulantibus, venereis puta, & ſimilibus aliis.

Et tanto quidem magis hæc valent, quanto facilius vel digitus explorat, & ipſe ſenſu tactus præditus, quod in nullo inſtrumento admiſſo vel immiſſo inuenitur, ſpecilli dilatatorii, aut ſcalpelli etiam vices gerere aptus natus. Attamen & in hoc cauendum eſt, ne temere ruptio

vel

vel dilaceratio fiat, sed omnia tuto eueniant, citra periculum, nec remedium sit grauius morbo, vel omnino mortiferum.

Idem de sectionibus dicendum quibusuis. Hinc prudentissime respondit Facultas Medica Lipsiensis, non fieri illam debere in intimiori proposito casu apud *Ammannum*, cum ipsum potuisset sic orificium vteri internum improuide & periculosissime lædi.

Instrumentum ad sectionem constituit vel lancetta hodie, vel cultellus gamoides, seu falcatus, vel nouacula ipsa, vti *ex Wier. l. 2. de præstigiis dæm. c. 38. Sennertus* duo exempla refert atretarum, vnius spontanea ruptura onerosi & obstructi sanguinis exitu liberatæ; alterius, vbi nouacula clausura aperta supra octo libras sanguinis atri profluxere. Vid. eundem ipsum *l. c. obs.*

Modus fit vel per longum, in linea recta, quod facilius, vel decussatim, vt quibusdam placuit. Punctura vero cum acu apud *Scultetum armament. chir. obs. 67.* in clausura ani ab anu quadam administrata, cum grano salis accipienda, in qua hinc, quod & de aliis valet, turundis ex radice gentianæ ad dilatationem vsa fuit.

Enimuero & de hac dicendum venit, si prius illud addiderimus, indicationes esse easdem, & methodum medendi generalem, cognita vero hac pro diuersitate subiecti, ætatis, personarum, circumstantiarum, committenda esse reliqua medici & chirurgi præsertim prudentiæ. Variat enim atreta quoque ab atreta, non solum ratione generis, sed & reliquorum dictorum.

Quod itaque dilatationem concernit, conuenit apud autores, diduci & ampliari cauitatis debitæ præclusum vel arctius spatium, tum laudata radice gentianæ veræ, cui no-

strates spuriam substituunt, libanotidis Theophrasti albæ; vel pessos etiam alios, ex spongia compressa, Quellmäussel vocant vulgo. Vt tamen verum fateamur, confidentiorem paulo illa admissionem requirunt ægræ, quæ ipsa retulerit & patiatur plenius, quod pleræque auersantur.

Idem valet etiam de aperta seruanda dissecta parte, ne denuo, vt fere fit, coalescat & actum agere teneatur artifex. Hanc in rem interstingenda sunt loca patula reddita sedulo, ne recidiuet malum, vel coalescat plenius omnino, frustra hinc speranda vlteriori cura. Hoc ipso vero pacto, vt contiguitas, ita continuitas optime prohibetur, siue id lamellis, seu turundis, seu aliis modis perficere liceat, siue etiam cathæreticis, leniter exedentibus & exiccantibus ipsis.

Præcipit hinc, & commendat *Cous* ad membranam auferendam vsum floris æris, vel viridis æris in pesso, id quod alias ad carunculam in vrethra absumendam, pro impediendo coalitu, etiam in vsu est, vt mercurius quoque dulcis, & similia. Alibi vero addit & fel tauri, & pinguedinem serpentis, cum melle & aliis remiscendo, & in lana & bysso indendo.

Inter reliquas omnes species difficillimum id est, in coalitu palpebrarum, illo quidem, quando albo ipsius oculi palpebra inhæsit, adeo, vt *Celsus* sic restitutum neminem meminerit. Et antiquus autor Meges ab eodem laudatur, multa se tentasse professus, neque vnquam profuisse, quia semper iterum oculo palpebra inhæserit, *l. 7. c. 7.* In causa est quies, in somno concessa necessario, vt quod per diem secessit, nocte coalescat denuo; accedit humiditas etiam maior, partium teneritudo, & alia.

Sed quod carunculam, seu excrescentiam attinet, illius & sectio & absumptio, quoad coalitum puta, si non impossibilis & frustranea, si grauior sit, vtplurimum, saltim longe difficilior & grauior existit, natiua monstrosaque, neque cauitatem pone se habens. Ab vlcere vero coorta facilius absumitur, vtrobiuis cauendum, ne vrinæ iter lædatur, cauendi nerui & musculi. Tacemus linamenta, plumbeas lamellas, vel tubulos, ad cicatricem callumque debitum inferendum, aliaque huius commatis.

Vti vero aliæ species omnes ex hac idea methodica tractandæ sunt, mutatis mutandis; ita æquipollet carnositati huic, imo peior est coalitus plane centralis & imperuius, a natura factus. Quandoquidem enim partim inaccessus est talis coalitus, &, inuita natura ac renuente, sectio, pertusio minus suadenda, ipsumque remedium grauius morbo, nec sine præsentaneis symptomatibus & vitæ periculo id tentandum, præstat manum de tabula, seu abstinere potius, & ægrum prognostico relinquere.

Sic & quod *Ægineta* suadet, si penis vrethra ad latus deuiet, glans non amputanda est, non sperando effectu desiderato & illo casu; nec ex fistula, seu exitu alio, loco natiui, destinato & iam consueto, temere vrethræ producendæ pertusione quacunque via quærenda est.

Quæ vero hic desiderari forte possent plura, ab autoribus, chirurgicis & medicis obseruationibus, huc facile possunt suppleri, ne longius scopo dimoueamur, vel diutius debito immoremur huic operæ. Præsens enim institutum non patitur omnium specierum curam & tractationem perstringere, adeoque ceteris ex loculis suis peti queunt.

Ex fonte vero PHARMACEVTICO pauca suffecerit delibare,

bare, vel causæ debita, illa fouenti, vel morbo, in subsidium chirurgiæ, curando secundario. Maxime quoad totum hic respiciendum fuerit ad scorbutum, & luem veneream, exindeque oriundam, vel comitatam, cacochymiam: siquidem ad vlcera, ad coagula & viscedinem mirum quantum disponunt; eaque itidem e suis loculis arcessenda. Quoad topica vero seu localia, traumatica, exedentia, adstringentia, epulotica, aliaque corrigentia, vel verbo tetigisse sufficiat.

Sequitur easdem leges & DIÆTA, curationi accommodanda, ne erroribus illius contra eatur. Et hæc ipsa tamen, cum non nisi indirecte, & remotius huc spectet, non eget vlteriori recensione. Satis sit commendare πάντα μέτρια.

SOLI DEO GLORIA.

CVm problema Tibi quærendum strictius esset,
Problema Hippocratis cordi animoque fuit.
His meritis, aliud capiti præclarius addet
Purpureum docto noster Apollo Tuo.

Ita
Nobilissimo Dn. Doctorando animitus applaudit

PRÆSES.

Atretis

ATRETIS methodo qua præstet ferre levamen,
Evolvis scriptis, hodienum à nemine tritis.
Laudibus hinc dignum Te præcinit ipsus Apollo,
Queis mox accedant, exopto, præmia justa.

JO. HADRIANVS SLEVOGTIVS,
D. P. P. & Med. Duc. Provinc.

VT diros perdat morbos, & consulat ægri
Vitæ, BERTRAMVS promtus ad arma vocat
Naturæ tria regna, artes, divamque Mathesin,
Lætum classicum ovans dum Meditrina canit.
Applaudunt Musæ: Feliciter omnia cedant,
Sit fructus belli, gloria, multa salus.

Nobilissimo Dn. Doctorando, suo hactenus in Mathesi & Physicis Auditori, Fautori plur. honorando, de exantlatis laboribus Academicis gratulatur, & felicem praxin Medicam ominatur

GEORGIVS ALBERTVS HAMBERGER,
Mathem. & Natur. Prof. Publ.